

Johann Joachim Schoepffer

**Rector Universitatis Rostochiensis Joh. Joach. Schöpffer/ J.U.D. & Prof. Duc.  
Comes Palat. Cæsar. Et Consistorii Ducalis Consiliarius ad Exequias solennes  
Viri ... Dn. M. Christiani Diet. Haltermanni, Ecclesiastæ Templi Petrini  
Vigilantissimi fidelissimiqve Abs Moestissima Vidua Hodie Parandas Omnes  
Omnium Ordinum Cives Academicos, ea, qva fas est, humanitate invitat**

Rostochii: Weplingius, [1707]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756271738>


Druck Freier  Zugang




Schöpffer, J. J.,  
in C. D. Haltermann.

Rostock, 1707.

81







RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOH. JOACH. Schöpffer/  
J. U. D. & Prof. Duc. Comes Palat. Cæsar.

Et Consistorii Ducalis Consiliarius

ad Exeqvias solennes

*VIRI Plurimum Reverendi & Præcell.*

DN.

M. CHRISTIANI  
DIET. HALTERMANNI,

Ecclesiastæ Templi Petri Vigilantissimi

fidelissimiqve

MOESTISSIMA VIDUA

Hodie Parandas

*Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos,*

*quâ fas est, humanitate*

*invitat.*



ROSTOCHII,

Typis Joh. WEPPLINGII, SEREN. PRINC.

& ACAD. Typogr.



Non solum Gentes cultiores ferme omnes, præsertim verò Hebræos, Persas, Arabes, Græcos, Latinos & Germanos suas *κωβιας νῆμας, παροιμιας* adagia seu proverbialia habuisse propria, infinitis posset probari exemplis; Sed & ipsum dulcissimum mundi Salvatorem adhibuisse proverbialia, & locutiones ex vulgari usu petitas, ex

*Henrici Hammondii & Job. Clerici, sententiâ in annotationibus in Nov. Test. p. 86. nullum est dubium. Inter alia quæ allata sunt confirmantur, illis verbis quæ continet emphaticum illud Epiphonema, quo Christus Jesus parabolam illam de operariis in vinea, de cujus scopo variæ reperiuntur in Theologorum scriptis sententiæ, concludit & ita ex versione D. Seb. Schmidii sonant: Sic novissimi erunt primi, & primi novissimi, Matthæi XX. 16. conf. Matt. XIX. 30. Marc. X. 31. Luc. XIII. 30. Quid Christus, Perrum objurgans, hoc proverbio innuere voluerit, illud & sub initium, & sub finem parabolæ usurpans, ita Hugo Grotius ad Matt. XIX. 30. exponit: Transgressio est ad sequentem tractationem, quæ Christus futurum indicat, ut gentiles Judæis fœderis secum initi, antiquitate superbientibus, atque inter Judæos hi qui ob prioris vitæ peccata erant contemptissimi, aliis pænitentiae remedium contemnentibus, æquissimo Dei judicio præferantur. Et Vinarienses sequentem hujus loci exhibent Paraphrasin: Es hat zwar Gott der Herr euch zu einem hohen Ampt berufen/und in seinem Reich oben gesetzt/ aber ihr habt euch dessen nicht zu überheben/ die weil ihr noch nicht das Ziel erreichet/sondern noch in den Schranken lauffet. 1. Corinth. IX. 24. Da es denn leichtlich geschehen/ daß die jenigen so andere zuvor kommen/ manchmahl*

mahl zurück bleiben / und hinfolgerum diejenigen welche  
im Lauff die letzten gewesen / manchmahl die ersten werden.  
Nolumus in sensum horum verborum ulterius inquirere  
sed illud Exegetis relinquere. Non incommodam vero,  
hodierno die, præbent hæc verba nobis dicendi occasio-  
nem, quando Reverendum Rostochiense Ministerium aspi-  
cimus & ex unius cujusq; sancti hujus Collegii membri ore  
summa cum tristitia hæc verba percipimus: *Sic novis-  
simi erunt primi, & primi novissimi.* Ereptus enim est ex  
illorum numero, per quadriennium, Deo sit Laus! ne-  
mo, nisi ante octiduum ille, qui novissimus eorum erat  
quoad vocationem in Dei vineam. Est vero is, cuius &  
ex more & instituto Majorum, vitæ curriculum, (quod ex  
parte etiam legitur in *Rostochio Literato* p. 379, seq.) exhibe-  
bimus: Vir Reverendâ dignitate, & infucata humanitate,  
certe si quisquam alius Clarissimus Dn. M. CHRISTIA-  
NUS DIEDERICUS HALTERMAN, Verbi Divini  
Minister ad Div. Petri olim fidelissimus. Natus vero  
ille est hic Rostochii Anno MDCLXXVII. d. 29. Nov.  
Patre, JOACHIMO FRIDERICO Halterman / Ci-  
ve & Oenopola hujus urbis primario, Matre vero Fœmi-  
na spectatæ integritatis & ob hoc ipsum charissimi filii tu-  
nus tristissima ANNA Wieben. Avum coluit Pater-  
num CHRISTIAN Halterman / Mercatorem & Se-  
natorem Gustroviensem, Aviamque Paternam CA-  
THARINAM Polchauen. Proavus paternus ipsi fuit  
ADAM Halterman / Civis & Mercator Gustroviensis  
Proaviaque paterna ANNA Prengere. Ex Maternâ  
lineâ Avus ipsi concessus fuit DIEDERICH Wiebe / Civis  
& Oenopola in hac urbe non postremus, Avia materna  
ELISABETH von Eizen / omnibus quæ ipsi competere  
poterant virtutibus instructa, cujus Pater GUNTZEL

) ( 2

von



von Eizen / Senator Malchinensis, Mater vero ELI-  
SABETH Sadenwassers. Proavum maternum agno-  
scit DIEDERICH Wiebe / & Proaviam mater-  
nam DOROTHEAM KRUGERN. Ex his ho-  
nestis & præclaris Parentibus pie defunctus noster in  
lucem editus & per lavacrum regenerationis vineæ Chri-  
sti insertus est. Cognitâ vero bonâ ejus indole Paren-  
tes studiis illum consecrarunt, & post privatam informati-  
onem in publica Senatoria Schola à Præcellentiss. Dn.  
JOACHIMO OTTONE tunc Rostochiensis, nunc Gu-  
strovienſis Scholæ Rectore meritissimo, ut & plurimum  
Reverendo Dn. M. JACOBO BURGMAN tunc Conre-  
ctore nunc Ecclesiaste Nicolaitano fidelissimo, eruditus  
est. Fundamentis studiorum feliciter jactis, Anno  
MDCXCIV. m. Majo in numerum studiosorum receptus,  
justum in studiis observavit ordinem optimosque sibi ele-  
git in omni studiorum genere Præceptores, nominatim  
D. Joh. Gottlieb Mollerum t. t. Græcæ lingvæ in hac Almâ  
postea Philosophiæ in Athenæo Gedanensi Professore  
Celeberrimum, ast præmaturè extinctum, sub cujus præ-  
fidio non solum privatim sed & publice disputavit. Et ut  
ostenderet, quales ex institutione hujus fidelissimâ, in  
Historiâ Literariâ fecisset progressus Præsede M. NIC.  
RICHTERO publica Disputatione Historiam Literariam  
delineavit & illustravit. Cum etiam Amplissimus hujus  
urbis Senatus Præcell. Dn. M. PET. BECKERUM in nu-  
merum Professorum cooptasset, primam sub ejus præfidio  
defendit B. HALTERMANNUS noster dissertationem  
Mathematicam. In Theologicis vero studiis summa cum  
constantia, ad pedes D. JOH. FECHTII, D. JOH. NIC.  
QVISTORPII, D. FRANCISCI WOLFFII, B. D. SAM.  
STARCKII, Celeberrimorum Academiae nostræ Pro-  
fesso.

fessorum fedit & auscultavit. Cum vero B. noster, <sup>qvan-</sup>  
tas peregrinatio literaria secum ferat utilitates optime sci-  
ret, non solum Celeberrimam Hafniensem ad tempus; sed  
& Anno superioris Seculi nonagesimo sexto Lipsientem  
adiit Academiam & quamvis libenter eo tempore ibidem  
mansisset, tamen ex voluntate matris, peractis aliquod se-  
ptimanis ad nos rediit. Anno vero sequenti procurante  
Dn. D. **Gottlob FRIDERICO SELIGMANNO**,  
iterum Lipsiam se contulit, factaque inter B. nostrum &  
Plurimum Rever. Dn. M. **JOH. Gottlieb HOFF-**  
**MANNUM**, Præpositum & Pastorem hoc tempore  
Tauchensem, permutatione, per biennium ibidem stu-  
diis vacavit & Celeberrimis Præceptoribus, B. **CAR-**  
**PZOVIO, OLEARIO, ITTIGIO, RECHENBER-**  
**GIO, SELIGMANNO** in Theologicis, M. **GRO-**  
**DECK, M. LUDOVICO & CHRISTIAN. Sebrecht Zele /**  
Judæo converso in Philologicis usus est. Ne vero Acade-  
mia Rostochiensis videretur, se **HALTERMANNI**  
memoriam deposuisse, ei absentis Magisterii obtulit hono-  
rem, quem & gratus accepit & postquam redux in patri-  
am factus, summa cum industriâ amplificare annisus est,  
aperuit enim studiosæ juventuti varia in Homileti-  
cis, Rabbinicis, Syriacis aliisque scientiis Collegia, &  
ipse Præses erudito orbi Anno MDCCCL. publicam exhi-  
buit dissertationem, de Formulis juramentorum Judaico-  
rum. Cum deinde ad vacantem in Ecclesia ædis Petrinæ  
functionem, idoneum requireretur subiectum, Amplissim.  
Senatus urbici judicio **HALTERMANNUS** noster di-  
gnus visus est, qui inter Candidatos auditoribus Petrinis  
sisteretur, qui & illum Anno MDCCIII. Mens. Januario  
Ecclesiastem sibi elegerunt. Eodem anno domum duxit  
**ANNAM MARGARETHAM DISTELERIAM,**

JAG. DIESTELERI; Consulis olim Rostochi-  
 ensis gravissimi filiam, viduam jamjam ob præmaturum  
 mariti obitum mœstissimam, ex quo conjugio svavissi-  
 mo sed eheu! brevissimo, nam futurus dies lunæ quadri-  
 ennii complementum demum addidisset, Pater factus  
 est duorum liberorum mellitissimorum, nempe ANNÆ  
 ILSABÆ & JACOBI FRIDERICI. Morbum ejus fatalem  
 enumerabit Vir Nobilissimus Experientiss. & Excellentissi-  
 mus Dn. GEORGIUS DETHARDINGIUS, Med. D.  
 & PP. fautor atq; Collega noster svavissimus, ita vero ille:  
*Beatus Dominus Magister Haltermann quæm vel à pueritiâ  
 novi & inter amicos meos habui, Corpore erat minus firmo,  
 hinc ad labes capesendas pronò admodum, Animo tamen  
 vegetiori paulo & ad studia satis habili. Ex quo tamen  
 relictis studiis Humanioribus ad graviora se applicuit, non  
 semper ad Vires attendit corporis, quin vel maximè cum  
 eiusmodi studiis delectaretur, quæ præter ingenium etiam  
 memoriam requirunt firmissimam, labem ipsi Cerebro impresit,  
 ut vertigo jam diu abhinc morbus fuerit ipsi satis familiaris.  
 Quod ultimum morbum attinet, jam tum febre tertianâ per  
 octiduum laboraverat, quando primâ feria Paschatos ad  
 illum vocatus in Paroxysmo decumbentem offendi; calor sat  
 intensus, ariditas faucium, gravis sitis, & Cephalæa, excerce-  
 bant illum admodum: opposui tum temporis talia remedia, quæ  
 hisce Symptomatibus quantum per paroxysmum licebat, mede-  
 ri poterant, imò medebantur. Erat quidem iste dies ut ipse  
 mihi referebat, hujus febris intercalaris, hinc vel magis vo-  
 lebat medelam. Die Lune accedebat paroxysmus, nec tamen  
 tam gravis, continuabat tamen calor levior eequidem, sed  
 quem bibendo infusum Thea ipse leniebat. Die Martis calorem  
 circa meridiem obrepentem sudor largissimus, ad quem conti-  
 nuandum*

uandum se ipse per trihorium composuerat, finivit. Accedebam sudore vix finito & vires observabam adeo prostratas, ut vix spiritum duceret: gratulabatur tamen ipse sibi, quicquid esset de debilitate virium, hoc sudore febrem suam cessaturam. Nec tamen destiti, quin pulverem antifebrilem leniorem per noctem si quando evigilaret sumendum, suaderem: obtemperavit, vel eo magis, quod somnus fuerat inquietior. Die Mercurii, nulla aderat febris; ast circa meridiem cum e lecto surrexisset, ut lectum sibi sternerent, lypothymia gradissima adeo illum exercuere ut vix spirituosos remediis, calidis frictionibus, extremorum frigus arcere vel sudorem colligativum abstergere potis fuerint adstantes. Advolavi statim simulac hac mihi fuere relata, & quia quando accedebam, iam ad se redierat, cordialia cephalicis juncta tum internè, tum externe adhibenda obtuli. Circa vesperam denuo lypothymia illa, & quia remediis nullus amplius locus Syncope, finem vite imposuit. Equidem & tum presentiam meam volvere agnati, est quod per diem egrotos meos visitando, vix domum fessus redire potueram, & morbus qui me nunc sat graviter in lecto detinet, in osibus haerere meis ut ipsum, accederem, plane erat mihi impossibile. Nec tamen neglexi omnem meam opem quae desiderari poterat ipsis & egroto prescriptis in formulis talibus medicamentis quae nec aliter se adfuissem suadere potuissem, offerre.

Ultima ejus vero quod concernit, illa fuere inexpectata quidem, quod B. noster ipse confessus est, aliquoties ad Plur. Rev. Dn. M. JOH. ZEIDLERUM, Pastorem Petrinum vigilantissimum dicens: *Daß hätte ich nicht gedacht/ daß es so geschwinde würde aus seyn; Sed beatissima, Confirmatus enim est in fide sua, & confirmationis Sacramentum à laudato DN. ZEIDLERO accepit.*

pit. Post cujus usum singularem concepit hilaritatem  
adeo ut aliquot vicibus dulcissimam conjugem ita allo-  
cutus sit : Sonne mir doch die Freude / ich sehe meinen  
JESUM stehen / ich muß zu Ihm hinauff. Quod etiam  
paulo post factum, dum Saluatori animam suam reddi-  
dit, & Anno ætatis suæ trigesimo, finito die Vitali,  
vitam etiam finivit suam. Quod reliquum est Cives  
Academici vestris titulis conspicui, ea qua fas est huma-  
nitate, ad unum omnes vos invito, ut funeris deductio-  
ni frequentes interesse, in solatium mœstissimæ Viduæ  
ac tristissimæ matris aliorumque  
propinqvorum ve-  
litis.


P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. VI. Maij

A. 1707.

*Conventus fiet in ade Petriua.*















On solum Gentes cultio  
mnes, præsertim ver  
Perfas, Arabes, Græc  
Germanos suas *κουλια*  
*μιασ* adagia seu proverb  
pria, infinitis posset pro  
Sed & ipsum dulcissimu  
vatorem adhibuisse pro  
cutiones ex vulgari u

Henrici ... di & Joh. Clerici, sententiã in  
in Nor ... nullum est dubium. I  
allat ... illis verbis quæ con  
cr ... vo Christus Jesus  
cujus scopo v ... tentiã, c  
Sic  
CO  
ri  
s, it  
ffio es  
cat, u  
erbientib  
aerant cont  
tibus, aquisi  
sequentem hu  
war Gott der  
nen hohen Ampt beru ... and in seinem Reich  
aber ihr habt euch dessen nicht zu überheben  
noch nicht das Ziel erreichtet / sondern noch in  
cken lauffet 1. Corinth. IX. 24. Da es dem  
sehen / daß die jenigen so andere zuvor kou

